



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem,
ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13650

CORNELII IANSENII
EPISCOPI IPRENSIS
DE HÆRESI PELAGIANA
LIBER QVARTVS.

Quo continentur dogmata ad vires
naturales bene vivendi
spectantia.

P R Æ F A T I O.



ACTENVS eas qualitates & conditiones hominis lapsi consideravimus, cum quibus nascitur in hoc seculo, & quæ ad naturam ejus videntur quodammodò pertinere. Nunc ad ea transeundum est, quæ operationes ejus spectant sive bonas sive malas.

Vbi primò quidem disquirendum occurrit, quid Pelagiani de libero arbitrio sentiant, sine quo nec benè nec malè vivi potest: sed quia latè sententiam eorum superius exposuimus, cum de primi hominis libertate tractarem, nihil addi opus fuerit, cum idem omninò de posterorum quoque viribus ac libertate sit judicium, utpote quam inseparabilem esse ab humana natura nulloque peccato amitti posse decernunt. Hoc autem eos de illa intelligere libertate contrarietatis, hoc est, de indifferentia ad bonum & malum, sive de potestate peccandi & bene vivendi, vitij virtutisq; sectandæ. Et quantopere necessitatem omnem seu determinationem ad unam dumtaxat istius contrarietatis partem quam coactionem dicunt horreant: quas liberi arbitrij vires supra omnes animi motus statuunt generaliter demonstravimus. Nunc alia nonnulla magis particulatim de peccato & bonis operibus & utrorumque principijs adjuvantibus tam internis quam externis indaganda sunt, in his enim propriè hæresis Pelagiana consistit.

Quid peccatum.

C A P V T P R I M V M.

MAGNVS Augustino cum Iuliano omnibusque Pelagianis atque acerrimus fuit de natura peccati ac definitione conflictus. Definuerat illud olim Augustinus, cum ante ortam hæresim Pelagianam contra Manichæos primam originem investigaret mali, esse, voluntatem retinendi vel consequendi quod iustitia vetat: & unde liberum est abstinere. Arripuit hanc peccati descri-

ptionem avidissime Iulianus, ac velut machinam invictam tuitus est, qua peccatum omne, ut ab Augustino asserbatur, everteret. *O lucens aurum in stercore!* inquit ille impudens, *quid verius, quid plenius dici à quoquam vel orthodoxy potuisset?*

Porro tota hæc definitio, sicut eam Pelagiani intelligunt, in illa plenissima humani arbitrij indifferentia ad bonum & malum quam

Lib. de duabus animabus. c. 11.

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 37.